

## Codex.

*Cum multorum mihi  
meis meritis.  
per moram non committitur.  
furiosa contentionum.  
cura circumuallat.  
honoris gratiam.  
solos spei labores.  
Regum consilia quin etiam.  
ut ita dixerimus.  
sapere uideatur.  
potentibus aulicis.  
aliqua contingit.  
promissa resignent.*

Non deesse ejusmodi diversitates  
per decursum Operis facile Le-  
ctor statuet

II. fol. 100. p. 2. Incipit liber  
Cassiodori de anima. Ita: *Cum iam  
suscepti operis optato fine gaude-  
rem, meque XII. voluminibus ia-  
ctatum &c.* Igitur Liber hic ordi-  
ne etiam temporis XII. *Variarum*  
Libros sequitur, non XII. *Histo-  
riae Tripertitae*, quos concinna-  
vit serius; meminit enim hic in  
Praef. *Praeceptorum Regum*, quae  
nuper agebantur, quo loco men-  
dofe Codex augebantur, probae  
ceterum lectionis, et, quemadmo-  
dum *Variae*, notulis, glossis, cor-  
rectionibus per margines adspersus.

## CCCLXVII.

U. 171 Codex membraneus lat. Sec. I  
XII. et XIII. Folior. 86. f. ele-  
ganter scriptus, et rubricis orna-  
tus, olim pertinens ad *Sanctam*  
*Mariam Gotwicz*, sive Coenobi-

## Editio

*Cum Disertorum mihi.  
veris meritis.  
per moram non comitur.  
furiosa intentionum. al. contionum.  
cura circumuolat.  
honoris gratia.  
solos labores.  
Regum quin etiam.  
ut ita dixerim.  
serpere uideatur.  
Potestatibus aulicis.  
alia contingit.  
promissa resignent.*

um O. S. *Bened.* hujus nominis in  
infer. *Austria*, ubi fortassis *Joh.*  
*Alexandro Brassicano* jussu *Ferdi-*  
*nandi* Regis a. 1528. Monasterio-  
rum Bibliothecas obeunti adhae-  
sit; ejus enim manus in margine  
fol. 25. uisitur, ab eo demum ad  
*Joh. Fabrum* Ep. *Vien.* delatus  
inscribitur: *Liber Cassiodori Sena-*  
*toris*, et incipit: *Cum Studia secu-*  
*larium literarum magno desiderio*  
*feruere cognoscerem &c.* Habemus  
igitur inclyti hujus Sec. VI. Scri-  
ptoris, e Regum Aula in Coeno-  
bium suum *Viuariense* ingrave-  
scente aetate digressi *Institutiones*  
*Diuinarum Literarum*, quas in  
*Operum* ejus Editione *Rotomag.*  
1679. f. *Joh. Garetius* T. II. p.  
537. exhibet. Et Textus quidem  
noster egregie cum Impressis pro-  
cedit; obferuo tamen uno *Prae-*  
*fationis* loco et Codices *Garetii*,  
et ipsum Editorem ab eo emenda-  
ri. Cum enim illi male legerent:  
*Hinc consequitur, ut otiose doce-*  
*am*, et hic substituisset: *ut ocyus*  
*edo-*



*secunda secundæ et sic usque ad ultimum interrogationes Pelagianorum.* Rubrica loquax. Series autem haec ipsa legitur *Opp. Aug.* edit. *Maur.* T. X. col. 168. titulo *Epistolae* seu *Libri de Perfectione Iustitiae Homini* cum ingressu ad *Eutropium* et *Paulum Epp.* qui abest a Codice. Hic enim statim incipit a Quaestione I. *Ante omnia, inquit, interrogandus est, qui negat hominem sine peccato esse posse &c.* Quaestiones XV. censentur in Codice, et ultima rite finit: *sed quando humilis adiuuatur.* Quae vero deinceps continuo adtexuntur: *aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem — sine dei gratia non posse sanari;* ad Quaestionem XII. pertinent vitio Exemplaris, quod Librarius noster descripsit, huc translata. Neque tota lectio e castigatioribus est.

V. fol. 30. Prologus hieronimi in epistola quam ad eustochium de virginitate seruanda conscripsit &c. Excerptum est ex *Epistola* in edit. *Vallars.* T. I. n. XXII. col. 112. ab illis verbis: *Nec tibi diserta multum velis videri &c.* usque ad verba: *Tacite per ora uoluntur lacrimæ;* ita tamen, ut etiam *in.* intermedii 31. et 32. de *Avaritia* sint omitti. Mox ab ingressu pro *lyricis festiva carminibus* legitur *lubricis,* dein *ex imis visceribus* fundebat pro *eruebat,* tum melius *parabantur exequie* pro *parantur,* item *ut vana somnia* pro *aut vana somnia &c.*

VI. fol. 31. p. 2. Incipit *Liber Augustini De Magisterio.* Dic de

*Magistro,* ut ipse *Augustinus L. I. Retrahat.* c. 12. et *Codex ad calcem.* Initium: *Quid tibi efficere velle videmur &c.* Finis: *ut tuis verbis asserebatur.* Extat *Dialogus* hic inter *Augustinum Patrem* et *Adeodatum Filium* edit. *Maur.* T. I. col. 541. Textus probe cum *Editis* conspirat.

VII. fol. 45. p. 2. Incipit *Liber Magni Aurelii Cassiodori Senatoris De Anima.* Prostat ille edit. *Garet. suprac.* T. II. p. 627. sed nobis in *Capita XVII.* dividitur, ut praevius docet *Elenchus.* Init porro: *Cum iam suscepti operis optato sine gauderem &c.* Finit autem: *probabili se meruerunt conversatione tractare.* Parum abit ab *Editis,* nisi quod *C. 1.* five in *Praef.* pro *ad substantiam scilicet corporis continendam* probabilius legit *contuendam.*

VIII. fol. 61. p. 2. *Notatio Notkeri Cenobite S. galli de illustribus uiris qui ex intentione sacras scripturas exponebant. aut ex occasione quasdam sententias diuinae auctoritatis explanabant. scriptæ ad Salemonem discipulum suum postea Constantiensis ecclesie episcopum.* Prorsus *κατα λέξιν,* ut in *Edit. Bern. Pezii* T. I. *Thef. Anecd.* col. 1. e *Cod. Zwetlensi.* Initium est: *Cum prudens sis et prudentis (Salomonis) nomen heredites &c.* Finis: *et libello finem impono. Vale.* Vix est, quod a *Pezio* abeat. Sed quaedam notis illustrari mererentur, quod non est hujus loci.

IX. fol. 67. Incipit *de rationali et ratione uti a sapientissimo uiro domno gerberto et apostolice sedis sum-*

*summo pontifice excussum exigente ottone augusto tercio ottone.* Tractatus hic Logicometaphysicus, quo acutus Autor *Aristotelem, Porphyrium et Boethium* sequitur, editus est a *Bern. Pezio* e Codice *Tegernseensi* in *Tbes. Anecd.* T. I. P. 2. col. 149. Init: *Domno et Glorioso Ottoni cesari — Cum in germania feruentioris anni tempore &c.* Nescio, an is annus 995. an 997. Ait enim mox *Gerbertus: inter bellorum discrimina, quae contra Sarmatas (Slauos) parabantur.* Atqui bella haec pluries instaurata sunt, ut videre est apud Chronographos. Noster pro *Sarmatas* legit *prave armatos*, sed paullo ante *ἀλογον* illud Editionis: *nescio quid arcana diuina mensuram secum tacite retractans,* praeclare sic emendat: *nescio quid arcani diuina mens uestra secum tacite retractans.* Locus edit. ille col. 151. aequè corruptus: *ut animal, quoniam majus est equo, et homo est, praedicatur, de quo et homo est,* non multo fanior comparet in Codice; verum legendum esse: *ut animal, quoniam majus est equo et homine, praedicatur de equo et homine,* quivis, qui non de multum, sed de rite edendo laboret, facile videt. Haec speciminis ergo. Ceterum plura hujus Dissertationis argumento sunt, in *Ottonis Aula* literis et literatis suum honorem fuisse. De Autore mox, sequitur enim:

X. fol. 73. *Oratio gerberti archiepiscopi habita in concilio mosomensi.* Haec Oratio, teste *Pezio Dissert. Isag.* p. 69. etiam in Cod.

*Tegerns.* sequebatur. Initium est: *Semper quidem reuerentissimi patres hanc diem pre oculis habui &c.* *Gerbertus Aruernas* e Monacho *Auriliacensi,* et Abbate *Bobienfi* propter insignem aevo suo scientiam et rerum usum in locum *Arnulfi* depositi factus *Rhemensis* Archiepiscopus a. 995. agentibus *Arnulfi* fautoribus in Concilio supra nominato causam dicere iussus, et usque ad futuram Synodum *Rhemensem* sacro ministerio interdicendus hanc sibi apologiam texuit. Extat illa post plures Editiones T. XI. *Collect. Concill. Labb.* edit. *Venet.* col. 1005. quacum tota conferri mereretur; video enim mox in limine post verba: *pauca super innocentiam meam referam,* omissum a Labbeo: *et quoniam consilio urbi remorum prelatus sum edisseram.* Obtinuit ille deinceps *Ottonis Imp.* favore *Ravenatenses* Infulas, quin et *Petri* sedem sub *Silvestri II.* nomine, non minus tamen ob insolitam in Philosophicis, Mathematicisque peritiam ab aevi sui ignorantia inter Magos, ut fit, relatus. De illo fuse *Hist. lit. Franciae* T. VI. non uno loco. Ad calcem nobis adjectum est: *Explicit iste Liber, iste pertinet ad Sanctam Mariam Gotwisch.*

XI. fol. 75. manu Sec. XIII. *Dialogus Augustini ad Orosium.* Alias *Quaestiones LXV.* e variis *Augustini* Scriptis compilatae, certe non ab *Orosio.* Repositae merito in *Append.* T. VI. a *Maurianis* leguntur col. 7. cum *Monito* praevio. Ineunt autem: *Licet multi do-*  
*ctissimi*

*Etissimi et probatissimi uiri diuerso quidem stilo &c. et finiunt notabili dicto: Sciat se non esse episcopum, qui preeffe desiderat, non prodesse.*

Ultimis binis *Paginis* Manus quaedam Sec. XIV. currente penna quaedam adscripsit *Homiletica* de Resurrectione et Passione Christi.

## CCCLXVIII.

R. 2186 Codex membranaceus lat. in confinio Sec. XIV. et XV. pulcre per scriptus, Folior. 130. f. min. coloribus illustratus et olim *Carthusiae SS. Trinit. in Königsfeld* prope *Brunnam Moravorum* continet sequentia: I. *Incipit Liber Cassiodori de Anima*. Praeit *Capitulum Elenchus* meliore, ut videtur, divisione, quam in *Edit. Gareti Rotomag. 1679. T. II. p. 627. f.* quacum *Textum nostrum* contuli, fatisque concordem reperi, nisi quod in *C. de Virtutibus moralibus Animae* *Definitio Temperantiae* suo loco mota, et *calci praecedentis C.* perperam adsuta est. Ad finem haec *Rubrica* legitur: *Scriptum anno domini Millesimo trecentesimo nonagesimo nono Infra octabas Epifanie domini feria sexta hora prima noctis per manus Nicolai mendlini wagendrüffel de bostradicz.*

II. *fol. 24.* continuo sequitur: *Magni Aurelij Cassiodori Senatoris viri clarissimi et Illustris. exquestoris pallatij. exconsulis ordinarij. exmagistri officij. prepositi atque patritij Libri de Amicitia Incipit prologus.* Ita nempe: *Quoni-*

*am diminute sunt veritates a filiis hominum et refrigescente caritate &c.*

III. *fol. 40. p. 2.* *Incipit libellus de caritate seu de dilectione dei.* *Initium: Sicut praecedentia docuerunt, amicitia vera non est &c.* *Dixi de II. his Libellis non Cassiodoro, sed Petro Blesensi* inscribendis *Vol. I. P. I. col. 928.* quo te, si lubitum est, refer. *Omnia haec III. Opuscula notis marginum gaudent, quibus vocum minus obviarum significatus etymologice et grammaticae explicatur.*

IV. *fol. 83. p. 2.* *Incipit Tractatus utilissimus de conscientia sancti Bernardi abbatis clareuallen.* *Ita quidem: Conscientia in qua anima perpetuo est mansura edificanda est. sed prius mundanda &c.* *Nec Bernardi est, nec hic integer, sed deflorationes C. I. VI. VII. X. XI. et XV.* *Integer extat in Opp. Bernardi Paris. 1690. T. V. col. 335.* *in scriptus de Interiori Domo.* *Ad calcem nobis iterum minio: Per manus Nicolay Mendlini wagendrüffel de bostradicz.* *Eodem anno, sed feria quarta ante ostensionem Reliquiarum.* *De hac consulenda vetusta Calendaria Ecclesiae Olomucensis. Hostradicz. Circuli Znoymensis Oppidum est.*

V. *fol. 88.* *praemisso de Seneca loco Hieronymi in Catal. Viror. illustr.* et noto *Philosophi Epitaphio: Cura, labor, meritum &c.* *ejus epistolare commercium cum Paulo Apostolo succedit, spurium illud et a nobis non semel relatatum, atque hic integrum XIV. Episto-*